DE PRIMARIO CONJUGII FINE DISSERTATIO /\ADIAPHORUS ILICRINES!

Gian Andrea Irico

Digitized by Google

Digitized by Google

ALETHOPHILO
SUO

ADIAPHORUS ILICRINES.

PLuribus codicillis me ſolicitaſti, amice ut tibi facerem commune, quid ſentiam in nuper orto diſſidio circa primarium conjugii finem. Diſtuli diu lunga diſtentus infirmitate, ut adhuc facies teſtatur, & noſti: at quandoquidem minitaris neceſſitudinem noſtram, niſi poſthabitis cæteris difficultatibus, quæ me cunctantem fecerunt, & adhuc mihi negotium faceſſunt tibi denique morem geram do victas manus. Legi utrumque in uno volumen exaratum a viris nomine, gradu, doctrina præclaris. In primo mihi viſus ſum veritatem videre, ſed plura deſiderari; quod cave, ne vitio vertas authori; teſtatur enim ſe ea ſcripſiſſe ex tempore, quæ ſibi ex tempore ſubvenerunt in mentem. In altero non ſatis demiratus ſum eruditionem profuſam, urbanitatem, modeſtiam, & limam politiorem in ſcribendo deductam, quæ certè tantùm litteratos decent; ſed queis non ſemper utuntur; acumen, & felicitatem quandam in retundendis adverſantis ſibi momentis, ut penè anceps hærerem in ſententia, quæ mecum, ut

ita dicam ; crevit ab unguiculis ; nempè ; quod primarius conjugii finis non alius ſit, quam propagatio humanæ ſpeciei. Novitas jurgii, nobilitas argumenti, & authorum præſtantia diſſidentium mihi calcar fuere ut penitius rem inveſtigare duxerim neceſſarium, ut cui adhærere ſententiæ tutius haberem, & ut lance diſcuſſa mihi, tibique facerem ſatis. Quid de meo, & de alieno penu deprompſerim itaque paucis præmiſſis habeto.

Primo ridebis forſan me tibi ſpartam hanc adornandam calamo latino duxiſſe, dum viri doctiſſimi, qui in hac inſudarunt vernacula oratione in diſceptando ſunt uſi, quaſi me Gymnaſtam proponam. Nihil minus. Doctrinam utriuſque veneror, & me imparem ipſis ultro profiteor; at ego is ſemper fui, qui ea omnia quæ ſacram criticen redolent aliquantulum, non alio, quam latino idiomate ſcribenda eſſe duxi, ne rudioribus, qui curioſiores plus quam par eſt, ſæpius ſunt, fucum faciat veritati umbra; ſed magis, magiſque in hac materia, in qua quædam neceſſario attingenda ſunt, quæ ſi vellicare non habent, in his tamen vulgus blatterare non deſinat. Secundo invitus in hanc arenam deſcendo, quia pro modulo meo enucleata quæſtione non poſſum ea, quæ a viris doctis agitata ſunt, intacta relinquere ut quieſcere omnino mihi, ubive utrobique ſit datum. Ita ea tamen attingam ut aliud agere videar, ut cunctis innoteſcat quod mihi mens eſt non impugnare authores, ſed tantum veri-

Digitized by Google

tatem inquirere; Ideoque alienæ Minervæ examine omiſſo momenta tantum expendam. Conabor igitur, dum obſervantiæ meæ erga te pignus tibi offero, tibi reverentiæ meæ erga authores eximios & non dubium pignus exhibere.

Ordo lucubrationis meæ hic eſto. Primum quomodo quærendus ſit finis alicujus rei quando evidenter non conſtat, proponam; deinde quid authoritatis, & rationum allatum eſt, perpendam, ut quæ delecta tenere, & quæ in cribro ſuperſunt, excutere conſultum ſit. Oculos collige, mentem adhibeto, & judex eſto.

Magnum conjugii vinculum a Deo ipſo fuiſſe inſtitutum nullus certè ambigat, quandoquidem de hoc habemus teſtimonium ab ipſo verbo divino mortalibus exuviis induto apud Mattheum (1) decimonono, & Marcum decimo. Qualem habuerit mediatum primarium finem Deus in hac inſtitutione certe non conſtat in terminis ex ſacris codicibus, nec ex aliqua definitione ſupremi Pontificis; ideoque re integra pro utralibet ſtare ſententia nullam prorſus notam inurit, unde operæ pretium duxerim adverſantem ſibi dictis perſtringere, aut ſcriptis refellere: verum enim vero poſtquam res typis eſt tradita, & in vulgus eſt edita, ſicuti omnibus legenda proponitur, ideo omnibus permiſſum cenſeo diligentiori indagine perſcrutari, quid in hac veritatis ambage poſſit lucis emergere ut notum ex ignoto ex iis quæ certa ſunt, nobis evadat. Hoc ut aſſequar nul-

(1) *Matth.* 19.

lam

Iam tutiorem mihi mens ſuppeditat viam, quam ex fine maximo, immediato, & univerſali quem nos non latet habere Deum in omnibus operibus ſuis, quæ extra ſe facit, inveſtigari quem primarium habuerit Deus mediatum finem in formando in principio temporum conjugii vinculo, ad quod ſic procedo.

Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus (1). Hoc patet ex proverbiorum decimoſexto. Cum optimus enim ſit Deus non poteſt niſi optimum habere finem in omnibus operibus ſuis, & optime cuncta perficere; ideoque etiam in omnibus quæ extra ſe facit, debet ipſe ſibi ultimus eſſe finis intentus, quod perfecte conſequitur in manifeſtatione ſuæ bonitatis, ut nos docet (2) Angelicus Doctor in epiſtola ad Romanas ſectione quarta hiſce verbis. *Conſiderandum eſt quod finis omnium divinorum operum eſt manifeſtatio divinæ bonitatis*. Hoc poſito, cui refragari non datur, ſtatuendum cenſeo quod in re, cui duplex terminis affigitur, is dicendus ſit finis primarius ipſius rei in quo magis divina bonitas manifeſtetur, & ſplendeat. In hoc igitur cum ſit quæſtionis nodus an Deus conjugium inſtituendo primario intenderit propagationem ſpeciei, an unionem animorum jugalium, in hoc reſolutionis cardo firmabitur, in quo termino magis divina bonitas manifeſtetur.

(1) *Prov. 16.*

(2) *D. Thom in ep. ad Rom. ſec. 4.*

Niſi mihi tecum res eſſet, Alethophile mi, recti judicii vir, cogerer ſiſtere in limine ad tollendum allucinationem quandam, quæ plures

fal-

fallit, & ita præoccupat ut ſit ſurdo canere, niſi hac ſublata progredi tuto poſſimus, quia cætera quæque deſpiciunt quæ pro contraria ſententia afferantur. ſecuri apud ſe in uno lemmate enſem habere, unde exſcindere nodum gordianum ſi eſſet in quæſtione propoſita. Ajunt enim. Anima nobilior eſt corpore: in matrimonio junguntur animi in dilectionem: in propagationem uniuntur corpora, ergo quanto nobilior anima, tanto debet præcedere finis unionis animorum fini propagationis ſpeciei. At quis eſt qui dialecticam ſalutarit a lunge, qui ſtatim non videat quod hoc eſt paralogizare, potius, quam diſſerere. Terminus enim finis omnino eſt extraneus in illatione, quia nullo modo ſubjicitur in minori, unde nulla poteſt ex duabus propoſitionibus illatio derivare quæ vere ſit talis. Qui ratiocinantur hoc pacto ſcholæ ammandandi ſunt antequam negotium nobiſcum illis ſit. Alii denique ſunt, qui rectius ita rem dirigant. Matrimonium eſt ad uniendos animos in dilectionem, & eſt ad unienda corpora in propagationem ſpeciei. Sed nobilior eſt unio animorum unione corporum, ergo nobilior erit unio animorum in dilectionem, unione corporum ad propagationem ſpeciei. Inſuper. Ergo finis unionis animorum in dilectionem in optimo agente debet præcedere finem unionis corporum ad propagationem. Hoc profecto eſt ad normam ratiocinari, ſed non eſt certum producere. Nullus certe inficiabitur animam corpore nobiliorem eſſe, ideo-

que

Digitized by Google

que ſi in hiſce terminis lis tota conſiſtat dubitaverit nemo unionem animorum nobiliorem eſſe unione corporum. Sed res alio modo ſe habet. Non quæritur enim ſimpliciter an unio animorum ſit nobilior unione corporum, ſed an nobilior ſit unio animorum in dilectionem, an unio corporum ad propagationem ſpeciei. En igitur ex hoc quod termini per finem intenti ſunt dilectio, & propagatio. Ex iis conſtat quod deſumi debet major ſive minor nobilitas, & præſtantia ſubjecti, ita & nobilitas finis. Quod igitur ſit nobilius, & præſtet in matrimonio an unio animorum in dilectionem, an unio corporum in propagationem ſicut non conſtat ſcripto, nec ex terminis certe patet; ita hoc eſt quod juvat appendere in lance, & cum nulla tutior ſit via quam ex notis, ut dixi ratione miniſtra ignotum illuſtrare hoc tandem agredior.

Jam in tuto eſt, quod primus finis univerſalis, & maximus omnium operum Dei, quæ extra ſe facit alius non eſt niſi manifeſtatio bonitatis ipſius. Hæc bonitas certe non manifeſtatur, & diffunditur extra ſe, niſi in operibus, quæ in beneficium noſtrum ſemper cedunt aliquo pacto, & licet divina bonitas ſit ſemper in ſe ipſa infinita ſicut cætera omnia Dei attributa ſuſcipit tamen magis, & minus reſpectu noſtri, adeout magis reſplendeat divina bonitas in iis operibus, quæ propius, & efficacius nos ad felicitatem hujus vel futuri ævi conducit; ſicuti omnibus patet de miſeri-

cor-

Digitized by Google

cordia divina ; quæ cum ſit ſemper in ſe ipſa infinita non æque , & omnibus ſemper miſeretur . Itaque ad rem noſtram ſi recta velimus uti menſura ille nobilior dicendus eſt matrimonii finis qui ſit nobis magis proficuus, & quod in hoc magis divina bonitas manifeſtetur , & ſplendeat .

Bona , quæ ex mutua dilectione conjugum proveniunt mundo certe non pauca , nec levia ſunt. Syllabum bonorum, de quibus ſermo, evincere poſſumus ex proverbiorum capite trigeſimo primo (1), in quo ſapiens enumerat bona quæ præſtat mulier fortis ab ipſo laudata ; quæ quidem bona coëquata menſura aptari poſſunt & viris matrimonio junctis . Hæc cum ſint multa , & prolixa , & omnibus trita ab his abſtinere non erit incongruum ; ideam tamen ipſorum ob oculos ponam ex doctiſſimo Cornelio a Lapide (2) deſumptam qui in hunc locum ſic ſcribit : *Mulier ergo virtutis , & ſtrenuitatis eſt, quæ in operando eſt ſtrenua , in patiendo magnanima , in regendo diſcreta , & ſapiens , in conſolando blanda , in mercando induſtria , in providendo ſolicita , quæ maritum alit , ſolatur , ditat , beat , quæ prolem ſevere educat in lege , & timore Dei , quæ ſervos , & ancillas in officio , & concordia continet , quæ domum , & familiam prudenter moderatur , ei de victu , & veſtitu providet , eam locupletat* (3) . Audias denique Criſoſtomum velim qui in homilia trigeſimaoctava in Geneſim ſic habet . *Ea denique eſt ut vir ejus ab externis , ac forenſibus negotiis ,*

(1) *Prov.* 31.

(2) *Cornel. a Lapide in prov.* 31.

(3) *Criſoſt. in geneſ. hom.* 38.

tiis, & turbationibus; ad eam quaſi ad portum confugere, & omnigenam invenire poſſit conſolationem. In adjutorium enim data eſt uxor, ut contentus ejus conſolatione vir adverſus ingruentia mala reſiſtere poſſit. Neque reponas mihi mulierem fortem quis inveniet? Nam quod admodum, ita raro inveniantur mulieres quæ tantum conjuges, & conjugium juvent non eſt primo inſtitutæ vitium naturæ, ſed naturæ in Adamo lapſæ eſt ulcus immodicum. Maxima ut opinor dignitas conjugalis dilectionis in eo ſita eſt quod ipſa ſit partim Sacramentum magnum in Chriſto, & Eccleſia, ideſt (1) *typus ante Chriſtum futuræ unionis Chriſti, & Eccleſiæ, & in nova lege ſignum unionis jam factæ*, ut optime notat jam aductus Cornelius a Lapide (2) in epiſtola ad epheſios.

(1) *D. Paul. a Eph. 5.*

(2) *Corn. a Lapide in eandem.*

Dixi partim nam in hoc mihi videor cogi diſſentire ab utroque viro laudato. Pugnat enim uterque author ut effatum Apoſtoli ad Epheſios *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*, pro ſe privative quoad alium explicet, & tueatur. Primus contendit firmatum typum primario conſiſtere in ſolicitudine quam Chriſtus habet fœcundandi Eccleſiam ſponſam ut nova prole ſemper ſuccedente, & amplior, ſeu ditior fiat, & maneat æterna. Secundus totus eſt ut probet in dilectione primario firmari, per quam Eccleſiam nutriat, & foveat, & ad cœleſtem tandem deducat thalamum. Neutrum credo poſſe concedi; puto etenim ſatis conſtare quoad amor

Chri-

Digitized by Google

Chriſti in Eccleſiam æque verſetur, & ut fideles paſcat, & foveat, & ut novam prolem ſemper faciat decedenti ſuccedere. De hoc audiamus Natalem Alexandrum (1) qui in eandem Epiſtolam ſic habet: *Sanctitas, & unitas matrimonii Chriſtiani ex conjunctione Chriſti Jeſu cum Eccleſia promanarunt: Hinc gratiam haurit, & miſticam illam conjunctionem quodam modo perficit, & conſumat: Eccleſiæ filios membra Jeſu Chriſto parturiens ejus ſpiritu regeneranda.* Hinc obſervandum eſt, quod licet Apoſtolus in hac Epiſtola, & Patres in eandem videantur magis incumbere in dilectione, quam in fœcundatione Eccleſiæ, hoc evincitur eſſe quia hæc eſt cauſa, & occaſio Epiſtolæ, in qua Apoſtolus dilectionem, quam ſemper voluit Deus inter conjuges, in novo Teſtamento vult quaſi novum præceptum, ut firmior ſit, & valeat typum exprimere dilectionis, qua nos Deus diligit, & totam Eccleſiam. Cæterum quod æque cura ſit Chriſto de fœcunditate ipſius Eccleſiæ, ne libidine teneri videar auctoritates inſarcinandi, ſatis ſuperque erit advertere in Chriſto tantam ſolicitudinem mittendi Apoſtolos per totum mundum, qui ſibi filios gignerent, & ubique terrarum ſatagerent facere ſibi populum acceptabilem; & ipſo inſpirante juge in Eccleſia propoſitum Apoſtolos novos mittendi qui jugiter novam prolem Eccleſiæ, & Chriſto concilient.

(1) *Natal. Alex. in 9. ad Eph. 5.*

Jam nunc e regione ponenda ſunt bona, quæ mundo proveniunt ex matrimonio in pro-

pagationem ſpeciei . Habemus igitur ex geneſeos capite primo, quod creatis a Deo inſenſibilibus omnibus, & ſenſibilibus inquit (1). *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram . . . . Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum maſculum, & fœminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait, creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* En igitur quod creatis primis hominibus ſtatim illis injungit creſcere, & multiplicari. Hæc eſt prima ſententia Dei Creatoris, ait S. Ciprianus. Prima ergo cum fuerit ſolicitudo Dei Creatoris creſcere humanum genus, atque multiplicari unicum medium fuit a Deo electum ad hanc habendam, matrimonium ſcilicet. Hoc probatione non indiget quia matrimonium inſtitutum quod fuerit a Deo in initio dierum diximus conſtare per teſtimonium ipſius verbi divini Matthei decimonono, quod unicum ſit patet ex eo quod quæcumque propagatio quæ ex matrimonio non provenit expreſſe a Deo prohibita fuit, & jugiter a Deo prohibetur: etenim fornicatio vaga intrinſece mala, & quod olim, & ad tempus ex Dei liberalitate indultum fuerit quoad polygamiam, & concubinatum, ſicuti in tali diſpenſatione illæſus ſemper ſibi conſtitit finis maximus propagationis ſpeciei per matrimonium, qui certè eſt certitudo prolis, ad effectum de quo infra, ita pro comperto habendum quod unicum ſit medium ad propagationem ſpeciei volitum ipſum conjugium. Hoc poſito, quod certe omnem

(1) *Gen.* 1.

Digitized by Google

nem dubitationem excludit hanc diſſertationem inſtituo.

Tanta eſt divinæ bonitatis excellentia quod non poteſt uno modo, nec in una creatura ſufficienter manifeſtari (1). Hoc habemus non tantum ex ratione, quam in terminis ex Divo Thoma eodem loco qui ſupra. Neceſſaria igitur apparet multiplicatio creaturarum ut radix totius divinæ manifeſtationis. Quod ſatis innuit ipſe Deus cum dixit non eſt bonum hominem eſſe ſolum. Voluit Deus manifeſtationem: voluit igitur multiplicationem. Miſſum fecit omne medium ad propagationem, ſeu multiplicationem, præter matrimonium, ergo matrimonium abſolute voluit propter propagationem. Quod ſi non poteſt dari manifeſtatio divinæ bonitatis abſque hominum multiplicatione, quia ſoli poſt Angelos ſunt primum objectum bonitatis divinæ, & ut ratione præditi ſunt, ſoli capaces cognoſcendi divinam bonitatem, & in Deum gloriam ipſius bonitatis refundendi, in quo tantum conſiſtit formalis manifeſtatio; ex hoc igitur conſtat quod ſicuti in antecedenti eſt velle manifeſtationem, quam hoc vel alio modo ipſam velle, ita pariter in antecedenti electio eſſe debet medii ad hanc manifeſtationem eliciendam; & ideo matrimonium unicum electum medium cum ſit quoad multiplicationem, primum debet intelligi in intentione ad efficiendam, & ſternendam viam ad omnem manifeſtationem. Hæc conſideranda ſunt ex parte Dei; ſed ſi etiam ex parte noſtri velimus hanc

rem

(1) *D. Thom. in Epiſt ad Rom. Lect. 4.*

rem introſpicere, quodnam bonum excogitari poteſt quod ſit æquiparandum bono exiſtentiæ. Nos etenim exiſtentiam noſtram ſi loqui velimus ad normam ordinationis divinæ nulli debemus poſt Deum niſi propagationi ſpeciei per matrimonium. Exiſtere ſicuti eſt fundamentum ſine quo nullum bonum, ita majus quocunque bono. Elici hoc ipſum ex terminis nullus dubito. Itaque cum matrimonium ex voluntate Dei ſit unicum medium ad propagationem, ſit radix totius diffuſionis bonitatis divinæ, & radix ſit totius boni reſpectu noſtri, quid excellentius in matrimonio quoad ſuam inſtitutionem excogitari poteſt propagatione ſpeciei? Quis ergo excogitari poteſt prior finis in Deo ſe manifeſtare volentis?

En quo uſque me traxit primum bonum matrimonii in quantum importat propagationem ſpeciei. Longius ſcilicet quam mihi erat propoſitum, ut jam non Adiaphorus ſed prorſus determinatus me debear fateri; nam hoc momentum ni fallor tale eſt ut omnem probationem, quæ poſſit afferri pro contraria ſententia omnino repellat, & deſtruat. Verum enim vero non tantum in me ipſo confido ut cætera ſpernam, & ad trutinam revocare recuſem. Maximum bonum, quod ex matrimonio in propagationem ſpeciei provenit mundo (multitudine jam ſuppoſita) eſt certitudo prolis. Ad hoc ipſum probandum animadvertere juvat, quod ex certitudine prolis derivat onus parentibus utriſque ſeorſim, æque ac conjunctim omni

cona-

Digitized by Google

conatu incumbere in educationem prolis. Hanc educationem nullus certe inficiatur multum influere ad formandam hominum ethicam, ſeu mores inſtituendos; cum potius recentiorum non pauci inveniantur qui per hoc injurii divinæ bonitati, & providentiæ, ut opinor, totum tribuant educationi. Bona quæ noſtro generi proveniunt ex debita educatione in re talia ſunt, quod ſi hæc etiam e regione ponantur bonis, quæ ex unione animorum jugalium naſcuntur certè hæc minora cognoſcentur, & lancem attollent. Virorum præcipuum munus eſt non tantum familiam, & rem familiarem tueri, augere, & moderari; ſed etiam ſocietatem, omnemque rempublicam conſtituere, gubernare, defendere. Cum ex educatione multum dependeat morum hominum inſtitutio, ex hac inſtitutione ordinarie loquendo dependet tota, & totius reipublicæ felicitas, & incolumitas. Mulieres, & præcipue eæ omnes, quæ ſunt viris conjunctæ excluduntur ex inſtitutione naturæ a foro, a nundinis, a bello, & ut uno verbo dicam ab omni eo, quod rempublicam conſtituit, & adminiſtrat; adeo ut ipſarum ſit ex inſtitutione naturæ munus præcipuum in angello domus ſecretas conſiſtere ut ſint viris levamen, familiæ moderatio, colum conſulant, eaque omnia præſtent, quæ diximus eſſe bona conjugii in dilectionem, quæ certe bona ſunt non pauca, nec levia; ſed in ſtatum reipublicæ ut talis nihil omnino influunt immediate, adeo ut nos docuerit expreſſis hiſce verbis Criſoſto-

ſoſtomus. *Suam utrique partem Deus attribuit: fœmineo quidem generi curam rei domeſticæ, viris autem negotia publica* (1). Sed ſi hæc ita ſunt commenſurare quis poterit domeſticam rem cum republica, immo potius illam hanc tantum præcellere, ut præſtantior, & prior fuerit cura Dei Creatoris, & naturam inſtituentis rem privatam, atque domeſticam ordinare, quam toti reipublicæ ut talis eſt temporius conſulere? Duo poſſunt reponi aliquam veritatis ſpeciem habentia; quæ meum non eſt fugere, vel ſilere. Primum quod etiam ſi bona antedicta non reſpiciant immediate rempublicam ut talem, attamen quia afficiunt ſingulas omnes familias, quæ ſolæ conſtituunt omnia membra reipublicæ, ex hoc habent aliquid univerſalitatis quod æquivaleat bono publico conſiderato ut tali. Secundo quod etiam educationis utilitas exoriatur ex mutuo amore, & pace domeſtica conjugum. Quibus objectionibus ut faciam ſatis, ab ultima initium deſumam. Libens aſſentior, quod pax domeſtica, & amor conjugum influant in rectam educationem liberorum, nam videndo proles fructus pacis, & mutui amoris inter conjuges, non leviter allicitur ad virtutem colendam, ut pares fructus & ipſa poſſit percipere, & domi, & in foro ſuo tempore: dico tamen, & non fruſtra contendo, quod onus, & munus liberos educandi naſcatur, foveaturque in parentibus non ex eo, quod ſe invicem diligant, ſed ex eo, quod maxime, liberi ſint utriuſque parentis germina & partes; & ideo ip-

(1) *Criſoſt. in Gen. hom. 38.*

Digitized by Google

ipſos afficiat divinum præceptum de inſtitutione, ad hoc ipſum a natura inſtillentur, ab amore ducantur. Quod ſi educationem juvat etiam mutua dilectio conjugum, cum hoc non ſit per ſe, ſed quaſi per accidens, ſeu ad melius eſſe, hoc nihil omnino infirmat effatum, quod educationis munus proveniat ex inſtitutione conjugii in propagationem ſpeciei. Redeo ad primum objectum, & dico, quod licet ſingulæ, & omnes familiæ totam conſtituant rempublicam, habet tamen reſpublica munia multa, quæ ſeorſim a ſingularitate debent conſiderari, ut ſunt bellum, forum, & publica œconomia, quæ ſunt bona ſingularium quidem, quia in ſingulos, ſaltem quoad pluralitatem convertuntur, ſed a ſingularitate abſtrahunt in adminiſtratione, & ideo bonum publicum vocantur, quod bono cujuſque particularis ſemper prævalet, & præcellit; ut eſt in confeſſo apud omnes. Ad hanc abſtractionem, & ad hæc munia feliciter obeunda nihil omnino opitulatur immediate dilectio conjugalis; ideo, & in hoc reſpectu dico præcellere, & præſtare humanæ ſpeciei educatio liberorum, dilectioni conjugali in ſingulis familiis; & ideo finem propagationis ſpeciei, ex quo tali pacto eſt volita præſtantior apparere fine unionis animorum jugalium in dilectionem.

Rideret me forſitan aliquis in allatis, ut qui per prædicta nitor probare propagationem prolis eſſe primarium conjugii finem, mihi ipſi in-

Digitized by Google

inconſtans, & incautus potius probem, ſi vera allata ſunt, primum conjugii finem non eſſe propagationem, ſed educationem prolis, ſeu ſpeciei. Hoc ut reſolvam ſatis eſt animadvertere, quod contendo jam ſatis probaſſe primarium conjugii finem eſſe propagationem, quia ipſa ſola radix totius manifeſtationis bonitatis divinæ, & exiſtentiæ ſingulorum, & omnium hominum. Deinde, ut hoc ipſum confirmem, oſtendo quaſi cauſam cauſæ immediate, dum ex allatis probatur, quod ſicuti finis primarius matrimonii eſt propagatio ſpeciei, ita finis primarius propagationis ſpeciei per matrimonium eſt certitudo, & educatio prolis; quod cum ſit præſtantius de ſe quacunque dilectione inter conjuges, ut probatum eſt, ita & hoc, ſicuti exiſtentia, probat, quod finis primarius matrimonii debuerit eſſe propagatio ſpeciei.

Extremis labiis attigi, quod in teſtamento veteri aliquando indultum fuerit poligamiæ, & concubinatui; ſed in hac re liceat aliquantulum hic immorari, quia, ni fallor, ex occaſione hujus indulti non levis oritur probatio in favorem tuentium quod primarius conjugii finis ſit propagatio ſpeciei. Ad hoc exequendum mihi luminoſum facem attollet eximium Hiſpaniarum, & totius litterarii orbis decus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis (1). Quæſtione etenim trigeſima in Matthæum ſedulo quærit an naturæ repugnet habere plures uxores ſimul. Re ut ſui moris eſt medullitus diſcuſſa, cum in quæſtione ſequenti probet expreſſe pluribus, eſſe

(1) *Abul qu. 30. in Matth.*

eſſe de ſe contra jus divinum uxorum pluralitas, in antecedenti tamen docet, & probat non eſſe de jure naturæ uxoris unitas. Cum innuerit enim hoc effatum: *Ad propoſitum dicendum quod matrimonium habet pro fine principali procreationem prolis, & educationem*, probat, ut jam dixi, non eſſe contra legem naturæ uxorum pluralitas, quia non opponitur propagationi, imo potius eam juvat, ut patet. Et etiam (En verba ipſa Auctoris) *non impedit finem hunc quantum ad educationem, quia unus vir poteſt educare filios ſuſceptos ex multis mulieribus*. Sed inquirendo quod ſpectat ad unionem animorum videamus ſenſus ipſius, ait enim, *de ſecundo fine* (de educatione loquitur) *dicendum, quod non omnino tollitur per pluralitatem uxorum, quia poteſt vir communicare opera cum omnibus illis, & tamen impedit aliquo modo, vel facit difficilem, aut indecentem perventionem ad finem, quia non facile poteſt eſſe pax in familia ubi eidem viro multæ feminæ junguntur propter zelum ipſarum, quæ ſe pellices reputant. Etiam quia idem vir non poteſt ſufficere multis uxoribus in redditione debiti, non ſolum ad votum, ſed etiam in redditione competenti, & ex hoc magnus dolor.*

Ex his quæ vera ſunt etiam abſtrahendo ab auctoritate extrinſeca magni viri ſic diſſero. Sit quod matrimonium ſit, & in propagationem ſpeciei, & in dilectionem conjugum, olim diſpenſatum fuit in quo immediate afficit unionem animorum, nunquam diſpenſatum fuit in eo quod ſpectat immediate ad propagationem,

& educationem; quod confirmatur ex eo quod ſi ſemel diſpenſatum eſt unitati uxoris quia non officit ſimpliciter propagationi ſpeciei, & immediate, ut vidimus non opponitur educationi; numquam tamen diſpenſatum fuit ut una mulier plures ſimul haberet viros quia directe opponitur certitudini prolis, & ideo educationi, quæ eſt primus, & maximus fructus intentus ab ipſa certitudine volita, & per hoc ipſi conjugio ut inſtitutum eſt; ergo dicendum quod primarius finis matrimonii ſit propagatio ſpeciei, & educatio, cui numquam, & nuſquam a Deo ipſo libero inſtitutore diſpenſatum eſt.

Hoc etiam patet a contrario, ſcilicet quod ceſſante primario fine legis ipſius obligatio non afficit. Etiam de hoc conſtat in materia quam habemus præ manibus. Illa verba Geneſeos capite primo in creatione, & capite nono poſt diluvium a Deo pronunciata *creſcite, multiplicamini non ſunt conſilium, vel exhortatio, ſed mandatum obligans ſub pœna mortalis peccati* (1) Hoc nos docet idem Toſtaſius in caput nonum geneſeos quæſtione prima. Huic adſtipulantur D. Thomas, Calmetus, & Baſilius Pontius qui pro cæteris ait (2). *Præceptum de contrahendo matrimonio extitiſſe indubitatum eſt apud Doctores*, quibus contra ire ait: *ſine fundamento* ſolum Medinam. Hoc ipſum ratio ſuadet nam talis erat neceſſitas propagationis ſpeciei ut ſatis diffunderetur divina bonitas, ut congruum fuerit de hac re præceptum indicere, quod & in ipſo libero obſequente faceret neceſſitatis meri-

(1) *Toſt. cap. 9. gen. qu. 1.*

(2) *Baſ. Pont. de eſſ. matr. lib. 1. cap. 4. in princ.*

Digitized by Google

ritum ; & obedientiæ . Neque juvat dicere quod effatum creſcite, & multiplicamini fuerit benedictio, & non præceptum ex eo quod in principio dictum æque a Deo fuerit brutis, & homini, quia genus brutorum uti rationis expers, præcepti, & obedientiæ eſt incapax. Dico etenim quod utique fuit præceptum & bruto, & homini ſecundum capacitatem ſubjecti. Præceptum homini ut lex ſuprema illi intimata ut ei libere obtemperaret. Præceptum brutis cæteriſque omnibus creaturis eſt voluntas expreſſa per vim directivam a Deo inditam in creaturis, quæ mediate ipſa facit quæ præcipit, & vult. Hic ſtilus exprimendi ſe Dei, ſeu faciendi voluntatem ſuam in creaturis non eſt in ſacris codicibus ſingularis, aut rarus. Sufficiat in Baruco unum exemplum (1). *Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt adſumus*. Confirmo ulterius quod fuerit præceptum homini intimatum ex eo quod poſt diluvium renovata neceſſitate multiplicationis, renovatum fuit homini, & homini ſoli, quia brutis ſemel indita vis erat ſatis: homini quia relictum ipſi libere obtemperandi congruum erat innovare, & inculcare præceptum. Hoc ipſum ſentio cum eodem Baſilio libro primo capite quarto (2).

Quod fuerit præceptum, in ſenſum pravum ut ipſis moris eſt extorquentes Eretici adnixi ſunt probare quod duret admodum omnibus obligatio nubendi; ſed hi ſatis confixi ſunt a Siricio Papa ad Epiſcopos Africæ, a Concilio

Flo-

(1) *Baruc.*

(2) *Idem lib. 1. cap. 4. n. 4.*

Digitized by Google

Florentino in litteris unionis, & a Tridentino ſeſſione vigeſimaquarta can. nono, & decimo. Quomodo non duret in præſentiarum obligatio legis ut ſaltem delibem ipſum denuo Baſilium afferam in hoc argumentum (1). *Verius ergo videtur extare etiam præceptum, nec revocatum, ceſſaſſe tamen omnino ejus obligationem. Almainus obligare docet ſingulos pro neceſſitatis tempore, & docet etiam optime Ledeſma, & in dubio circa octavum principale, optime probat ex hoc præcepto ſingulos obligari, & non tantum communitatem. Extare ergo hujuſmodi præceptum probatur. Præcepta enim naturalia non revocantur, licet ceſſare ſoleant ceſſante cauſa, ut dictum eſt. Ut enim alibi diximus quædam præcepta naturalia ſunt quæ non obligant abſolute, ſed ſub aliqua circumſtantia, quæ ſi deſit, ceſſat etiam eorum obligatio. Hujuſmodi eſt præceptum naturale ſervandi honorem, reddendi depoſitum: atque ejuſmodi rationis eſt præceptum de contrahendo matrimonio: obligat enim ſub ea circumſtantia ſi adſit neceſſitas propagandi genus humanum, qualis initio fuit, quæ cum ceſſaverit, ceſſavit etiam obligatio præcepti. Multiplicato enim humano genere non eſt cur dicamus ſingulos obligari, nec communitatem.* Hactenus idem Baſilius. Ex his ſic arguo.

(1) *Idem ibid. n.* 8.

Quando inſtitutum fuit matrimonium datum fuit præceptum nubendi, & propagationi ſpeciei operam navandi. Satis repleta terra hominibus ceſſavit obligatio ſingulis nubendi, & propagandi; ergo dicendum quod præceptum

nu-

nubendi, & ipſum matrimonium datum fuerit ad effectum propagationi inſerviendi. Inſuper addo ceſſavit quidem obligatio nubendi ſingulis; at ſicuti volentibus contrahere numquam conceſſum eſt (ut infra ſatis conſtabit) niſi iis qui capaces ſunt operam dandi propagationi, ergo dicendum quod ſola propagatio ſpeciei ſit primarius finis inſtitutionis conjugii.

Hæ probationes quæ ſtant pro propagatione deductæ ſunt ex ſacris codicibus, ſed ex ipſis ſacris codicibus aliæ multæ non deſunt ad hanc ipſam ſententiam confirmandam (1). Capite ſecundo Geneſeos habemus grafice datum quomodo Deus Evam creaverit. Verſiculo decimo octavo præ omnibus. *Dixit quoque Dominus Deus: non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum* (ait Cornelius a Lapide) (2) *quia ſi Adam fuiſſet ſolus ſpecies humana in eo interjiſſet; itaque mulier neceſſaria eſt ad ſobolis propagationem*. Fuſius tamen mentem ſuam aperit in hoc Auguſtinus. Non pigeat prolixiorem auctoritatem perlegere quia in ea nihil abs re (3). *Si ad hoc adjutorium gignendi filios non eſt facta mulier viro, ad quod ergo adjutorium facta eſt? Si quæ mulier operaretur terram, nondum erat labor ut adjumento indigeret, & ſi opus eſſet melius adjutorium maſculus fieret. Hoc & de ſolatio dici poteſt ſi ſolitudinis fortaſſe tædebat. Quanto enim congruentius ad convivendum, & colloquendum duo amici pariter quam vir, & mulier habitarent? Quod ſi oportebat alium juben-*

(1) *Gen. cap. 2. 18.*

(2) *Corn. a Lap. in cap. 2. gen.*

(3) *Aug. de gen. ad litt lib. 9 13. 246.*

Digitized by Google

bendo , alium obſequendo pariter vivere , ne con-
trariæ voluntates pacem cohabitantium perturba-
rent , nec ad hoc retinendum ordo defuiſſet , qu
prior unus , alter poſterior , maxime ſi poſterio
ex priore crearetur , ſicut fœmina creata eſt . A
aliquis dixerit de coſta hominis Deum fœminan
tantum , non etiam maſculum ſi hoc vellet facer
potuiſſe ? Quapropter non invenio ad quod adjuto-
rium facta ſit mulier ſi pariendi cauſa ſubtrahi-
tur . Hæc vero non obſtant quin mulier ſi
adjutrix viro in his , quæ jam ſunt memorat
ex Criſoſtomo ; tantum contendo quod in h
ſit adjutrix non quod ad hæc ſit creata final
ter , ſed ordinata poſterius , quod optimè co
ſonat auctoritati Cornelii a Lapide qui in hun
locum ſic ait (1) . *Viro mulier eſt adjutoriu*
primo ad prolis propagationem , & educationem
ſecundo ad familiæ gubernationem : tertio ad cu-
rarum dolorum , & laborum levamen : quarto a
cæteras vitæ neceſſitates ſublevandas .

(1) *Corn. a Lap. in cap. 2. gen.*

Si ergo primario creata eſt mulier viro
ſit ei adjutorium ad gignendos filios quorſu
matrimonium per quod tantum jungitur viro
poſſit hoc adjutorium præſtare quis poſſit in
ciari quod matrimonium habeat pro fine prin
pali propagationem ſpeciei ? Extat & aliud
ſacro codice argumentum ad hoc propoſitun
Ex ipſo Geneſeos capite ſecundo habemus qu
creata Eva , & a Deo ipſo ad Adamum add
cta , inſpiratus Adamus in hæc verba pro
pit (2) . *Hoc nunc os ex oſſibus meis , & caro*
carne mea .... quamobrem relinquet homo patr
ſuum .

(2) *Gen cap. 2.*

ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Perpendamus ſingula. Hoc nunc os ex oſſibus meis cum cæteris uſque ad verſiculum ſequens originem tantum mulieris deſcribit, & reſpicit, ideoque in hoc nihil neque pro, neque contra, ad quæſtionis propoſitum. Sequitur, quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ. Hic immoremur ut innoteſcat quid importet hoc relinquet, & adhærebit (1). Paraphraſis caldaica ſic habet. *Propterea relinquet homo lectulum patris ſui, & matris ſuæ, & erunt in carnem unam.* Non ex hoc incongruum aliquid, vel indecorum deduco quod nefas ſit. Dico tamen quod ſicuti cæteræ verſiones, & hæc paraphraſis ideo a Concilio Tridentino improbatæ non ſunt, quia ſæpe deſerviunt ad felicius aſſequendum verum ſenſum authenticæ noſtræ vulgatæ, ideo ex hac paraphraſi deduco, quod hoc relinquere, & adhærere ſit quantum ad habitationem, quaſi lectulum ſuum in domo patris relinquat, & ab eo laribus dividatur ſi opus ſit, ut ſancte, & pie cum uxore fruatur conſuetudine vitæ. Ita ad litteram exponunt illa verba Doctores relinquet, & adhærebit. Sed audacior ſuum. Contendo abſolute quod illa verba conjuncta per particulam, & relinquet, & adhærebit non poſſint in facto, conjugum eſſe relativa ad dilectionem, quod ita demonſtro ex hipotheſi non impoſſibili, & fortaſſe non nimis rara. Sit vir qui fortiius fuerit in matrimonio mulierem adeo rixo-

(1) *Paraphr. cald. in cap. 2. gen.*

d ſam,

ſam, & iniquam, quæ ex prætextu alicujus ſimultatis interminet viro ſuo odium, & inimicitias ſi nolit negare genitoribus ſuis obſequium, & auxilium. Peto in his circumſtantiis debebit ne vir negare obſequium, & auxilium parentibus ut indulgeat uxori, & ei morem gerat ad dilectionem ſervandam? Quis compos mentis hoc affirmaverit? Ergo verba illa relinquet, & adhærebit relationem habere non poſſunt ad dilectionem, ſed tantum ad contubernium, quod neceſſarium primario eſt ad commodum educationis, non ad dilectionem, debitam quidem ex aliis motivis, & ordinatam; ſed de qua non eſt hic immorandum.

Jam videamus quod ſupereſt. *Et erunt duo in carne una*. Hic profecto caro carnem appellat, & commixtionem maris, & fœminæ in propagationem ſpeciei tanquam principale munus uxorium. Ex quo ſatis evincitur primum matrimonii finem aliud non eſſe quam propagatio ſpeciei, nam & in hoc typus firmatur unionis Chriſti, & Eccleſiæ, & ipſum Sacramentum magnum eſt in Chriſto, & Eccleſia. Ad hæc ne ſupercilium attollas quæſo, quaſi de re pudenda typus adſtruatur de quo ſit nefas, alioquin conabor te ammandare Auguſtino qui ſcribens contra adverſarium legis, & Prophetarum libro ſecundo ſic ait (1). *An & contra Apoſtolum propoſiturus eſt cathedram peſtilentiæ, & diſputaturus de qualitatibus figurarum, atque dicturus non eum debuiſſe figuras honeſtarum de rebus turpibus dicere? Res enim tur-*

(1) *Aug. contra adv. leg. & propb. lib. 2.*

turpis huic videtur, etiam cum ipſa Sara concubitus conjugalis, quam liberam matrem noſtram æternam Jeruſalem ſignificare teſtatur doctor gentium: quamvis narium rugas, & frontis obducat, & criſpato vultu hanc parabolam exhorreat auctor peſtilentium: & multo amplius, & aſpernabilius quando audit eundem doctorem gentium, quod ſcriptum eſt de maſculo, & fœmina. Erunt duo in carne una, addere, & dicere Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Ita ne vero ubi eſſent cognoſcenda tantæ rei Sacramenta, ideſt ſacra ſigna & in re pudenda, atque in eis verbis in quibus verecundia debetur cognoſci non debuiſſe, nec dici, homo iſte ſciebat, & Apoſtolus neſciebat? At profecto abſtrahe tantiſper ab his quæ in noſtram perniciem invexit in Mundum culpa, illecebra, & abuſus conſiderato in ſe ipſo actu qui propagationi deſervit, quid incongruum, quid indecorum invenies in ipſo? Nonne membra, & organa, quæ generationi deſerviunt nonne a Deo ipſo plaſmata ſunt, & ad hunc effectum ordinata? Quid ergo incongruum quod Chriſtus Dominus hunc actum, & contractum qui tendit ad ipſum elevaverit illum ad eſſe typum unionis, quam ipſe nobiſcum facit: iſtum ad eſſe ſignum gratiæ, quam confert ipſum ineuntibus, & unum ex ſeptem Sacramentis Eccleſiæ? Maxime quod ex illo actu, & ex hoc contractu cuncti formamur ſecundum divinam providentiam, & animæ ipſæ ſi fas eſt etiam ſemel earum nobilitatem producere hiſce

d 2 tan-

Digitized by Google

tantum poſitis creantur, ſeu educuntur in viam, ſi mavelis ſingularior, recentiorque apparere, quod quidem non tantum rationi repugnat ſed etiam ſemper fuit abſonum a ſenſu Eccleſiæ.

Quæ actenus exegimus ea ſunt quæ me ſatis confirmant in ſententia quod primarius ad quem inſtitutum eſt finis conjugium non alius ſit quam propagatio humanæ ſpeciei. At tu præſtolaris ea quæ me manet objecta antequam in alterutra denique acquieſcas ſententia. Harum igitur elencum habeto, & ſtatim opus agredior. Hæc ſunt reſcripta Pontificum, occaſio Bullæ Sixti Quinti, matrimonium Senum, matrimonium Virginum, matrimonium Beatiſſimæ Virginis Mariæ: denique auctoritates non paucæ Patrum, atque Doctorum, nam ſi quæ reliqua ſunt aut minus ad rem, aut ſi cætera reſolvam ea ipſa iiſdem rationibus diſſipata percipies.

Primum occurrit reſcriptum Lucii tertii ſic habentis in titulo de frigidis, & maleficiatis capite quarto (1). *Conſultationi tuæ qua nos conſuluiſti utrum fœminæ clauſæ impotentes commiſceri maribus matrimonium poſſint contrahere, & ſi contractum an debeat reſciendi? Taliter reſpondemus, quod licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium, Romana tamen Eccleſia conſuevit iu conſimilibus judicare, ut quas tanquam uxores habere non poſſunt, habeant ut ſorores*. Ex hoc inferri preſumitur quod matrimonium cum impotente de ſe non ſit invalidum; ideoque quod propagatio hu-

(1) *Lucius III de frig. & malef. cap. 4.*

Digitized by Google

humanæ ſpeciei non ſit primarius finis matrimonii, ex eo quod ſi eſſet non poſſet dari contractus inter duos qui ſint incapaces ipſius primarii finis conſequendi. Hoc objectum tanti facio quod ſi non ſim potis ipſum reſolvere, & concludat ad rem in conſpectu omnium, quæ allata ſunt adhuc anceps hærebo.

Videamus ergo ſi ex cæteris de quibus certo conſtat expiſcari poſſimus quis ſit ſenſus iſtius judicii, & quid importet, & quid ex hoc certum promanet. Primo animadverto quod in toto titulo de frigidis, & maleficiatis qui ſeptem capitibus conſtat tantum in ſequenti Cœleſtini tertii mentio fit de providentia habendi ut ſororem eam, quæ tanquam uxor haberi non poteſt; ſed tali appoſita conditione (1). *Quod ſi ambo conſentiant ſimul eſſe vir eam etſi non ut uxorem ſaltem habeat ut ſororem*: aliter ſervatis impoſitis ſeparari permittit (2). Ulterius video caput tertium ipſius tituli in reſcripto Alexandri tertii in quo ſic habetur (non eſt parcendum calamo ne fuci irepat ſuſpicio). *Ex litteris tuis accepimus quod quidam ſexdecim annorum quandam annorum tredecim duxit uxorem, qui cum debitum reddere non poſſet mulier tam gravem infirmitatem contraxit, ut omnino viro ſit facta inutilis, & inſtrumentum ejus impeditum ita quod vir ei commiſceri non poteſt. Reſpondemus igitur quod ſi vitium illud mulier a natura contraxit, nec ope medicorum poterit adjuvari, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem*. Cætera quæque capita ſilent remedium de haben-

(1) *Celeſ. 14. tit. tit de frig & maleſ. cap. 5.*

(2) *Ibid. cap. 3.*

Digitized by Google

benda ut ſorore ea quæ non poteſt haberi ut uxor, & in omnibus ſtatutis circumſtantiis datur facultas dirimendi matrimonium ob impotentiam. Certe ſi datur cauſa diſponendi, & ordinandi quod retineatur ut ſoror ea quæ non poteſt haberi ut uxor unuſquiſque conjiciet eam eſſe quæ habetur in hoc capite Alexandri tertii in qua vir conſumare non potuit *quia erat arcta* (ut loquitur gloſſa) (1) & poſtea ſine culpa facta eſt impotens abſolute, & irremediabilis, ut in ipotheſi, & tamen datur facultas abſolute dirimendi, & hic nullum verbum de habenda ut ſorore. Quærendum igitur eſt quis ſit ſenſus reſcripti Lucii tertii, & quorſum in ea cauſa ſic fuerit pronunciatum (2). Præmittendum quod gloſſa in illa verba reſcripti Romana tamen Eccleſia conſuevit in conſimilibus judicare ait. *Alias bene permittitur aliter fieri*. Si hoc eſt patet quod tale judicium tale non eſt ex natura ipſius rei, ſed voluntarium ex circumſtantiarum importantia. Inſuper animadvertendum quæ ſit materia de qua in dicto reſcripto. Agitur enim de muliere arcta, ſeu clauſa. At ſicuti hoc impedimentum non ſemper eſt perpetuum, non ſemper eſt irremediabile ſaltem ope medicorum, & cum ex decretis Pontificum teneatur mulier ſubire remedia quæ ſint ſine periculo vitæ. Aliunde cum res aliquando ſit deceptioni ſubjecta, ut habetur ex eodem titulo capite ſexto, in quo apparet quod mulier quæ arctitudinem produxit adhibitis inſpectionibus ſolutum fuit matrimonium, atta-

(1) *Gloſſa ibid.*

(2) *Gloſſa in cap 4.*

49

attamen poſtea apparuit hanc mulierem judices decepiſſe ut ait Innocentius Tertius in dicto capite (1). Ultimo cum certum ſit Eccleſiam ſemper quantum fas eſt abhorrere a talibus judiciis ob periculum quod in facto fundatur ſæparandi eos quos Deus conjunxit, quid mirum igitur quod Eccleſia alicubi, & aliquando conſueverit judicare quod ſi eas habere non poſſunt ut uxores habeant ut ſorores? Dices tamen, aut uxores ſunt, aut non ſunt uxores. Si uxores ſunt ſtat quod cum ſint incapaces commixtionis non poteſt eſſe propagatio ſpeciei primarius finis matrimonii, quia uxores ſunt, & hujus finis non ſunt capaces. Si uxores non ſunt quare Pontifex aut jubet, aut in datis caſibus ſinit ipſos convivere cum animarum periculo quod ſemper ineſt cohabitationibus diverſi ſexus dum non ſint conjuges? Quod reſpondeo memineris rogo, & in objecto ſequenti erit enim ad rem, & ideo repetere non erit opus. Primum dico quod de habenda ut ſorore Pontifex ſtatuit quando omnibus perpenſis aliquale dubium remanere poſſit de abſoluta & perpetua impotentia. Conſulere etenim conſcientiæ ſuæ unicuique ſpectat, & onus incumbit. Providere, & tueri validitatem Sacramenti, & ejus indiſſolubilitatem quando adeo non eſt nullitas certo ſpectat Eccleſiæ. Quod ſi repoſueris quod in Bulla Sixti Quinti agitur de eunuchis qui indubitanter ſunt incapaces, & tamen Pontifex non juſſit inquietari eos qui caſte viverent; ſed hoc reſpondeo, quod Pontifex, ideo indulſit

eis

(1) *Tit. ibid. cap. 6. Innocent. III.*

eis qui caſte viverent; primo quia Eccleſia numquam ſæparat niſi neceſſitas urgeat. Secundo eunuchi aut caſte vivebant, aut non: ſi non caſte vivebant juſſum eſt illos ſæparari, ſi caſte vivebant, vivant; quid rogo opus fuerat illos rigoroſe ſæparare ſi probatæ erant caſtitatis? Profecto citra hoc periculum quis inficias jerit poſſe habitare vir cum muliere, & ſi non ſit uxor? En igitur quod omnibus perpenſis ex reſcripto Lucii tertii nihil omnino poteſt deſumi contra ſententiam tuentem propagationem ſpeciei eſſe primarium finem matrimonii.

Sed neque ex præſcripto Gregorii primi in decreto in cap. requiſiſti quæſtione trigeſima-tertia in qua habetur (1), *maneant utique innupti*, in caſu quo non poſſint commiſceri, nam gloſſa difficultatem dirimit dicendo (2) *præceptum eſt quantum ad virum, quantum ad illam conſilium. Et ita verbum ſemel poſitum tenetur æquivoce*; unde caſus potior eſt ad confirmandam, quam ad refellendam ſententiam, quam his in reſolutionibus tueor. Ultimo memineris velim antequam progrediamur ad Bullam Sixti Papæ Quinti, quod omnia allata reſcripta, & quæcumque poſſunt produci ex corpore juris, cuncta ſunt emanata ante ipſam Bullam, quod probe ad propoſitum retinendum eſt. His poſitis ad Bullam procedo.

(1) *Greg. 1. cap. requiſiſti in decreto qu. 33.*

(2) *Gloſſa ibid.*

Affertur pro oppoſita ſententia quod in Hiſpaniarum Regnis mos invaluerit ante motum proprium Sixti Quinti (3) eunuchis valide, & licite matrimonia contrahendi, ideoque con-

(3) *Bulla Sixti V. 1587.*

Digitized by Google

conſequentia eſt obvia. Ad hoc quod in iis regnis mos invaluerit hoc non inficior, nam Bulla ipſa hoc ſuponit. Quod fuerint valida, & licita talia connubia hoc eſt quod abſolute nego, & impugno ex ipſa Bulla, & hac ob oculos poſita jam manus conſero. *Cum frequenter in iſtis regionibus Eunuchi quidam, & ſpadones, qui utroque teſte carent, & ideo certum eſt ac manifeſtum verum ſemen emittere non poſſe .... quod ad generationem, & ad matrimonii cauſam minime aptum effundunt* (Alethophile mi, matrimonii cauſam, quod expreſſius oraculum deſiderari poteſt a Pontifice Maximo pro mea ſententia !) *matrimonia cum mulieribus præſertim hunc ipſum defectum ſcientibus contrahere præſumant, idque ſibi licere pertinaciter contendant, & ſuper hoc diverſæ lites, & controverſiæ ad tuum, & Eccleſiaſticum forum deducantur requiſivit a nobis fraternitas tua quid de hujuſmodi connubiis ſit ſtatuendum*. Bulla hæc ſcripta fuit Epiſcopo Novarienſi Sedis Apoſtolicæ in Regnis Hiſpaniarum Nuncio.

Singula perpende, quæ uſque nunc pronunciata ſunt. Quid quæſo per præſumant, quid per pertinaciter contendant? Quando nam ad narrandam rem quæ ex uſu, vel ex præſcripto licita evaſerit hiſce terminis uſurpatum eſt? Certe hæc verba ſatis innuunt, & declarant abuſum irrepſiſſe, quod non inficior, & nihil certe officit ad meum propoſitum, imo potius firmat illicitam ſemper fuiſſe talem larvam conjugii. Hoc tamen ſi eſt ſatis ad rem,

non fuit ſatis Pontifici. Sit ipſe ſibi explicatio: Poſitis quæ ſupra luſtravimus mox proſequitur. *Nos igitur attendentes quod ſecundum canonicas ſanctiones*. (Hic recole titulum de frigidis, & maleficiatis, & præſertim caput ſecundum Cœleſtini tertii in quo ſic habetur (1). *Sicut puer qui non poteſt reddere debitum non eſt aptus conjugio, ſic qui impotentes ſunt, minime apti ad contrahenda conjugia reputantur*. Hic Pontifex floruit ſæculo duodecimo, hoc eſt per quatuor ſæcula ante Bullam), *& ſecundum naturæ rationem qui frigidæ naturæ ſunt, & impotentes iidem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur*. Dicito mihi qui contra canonicas ſanctiones, & naturæ rationem contrahunt, licite umquam contrahere præſumendi ſunt? Relinquamus cætera quæ impoſterum damnant, & prohibent talia conjugia ut ſtatim ad radicem falcem mittamus. *Quam eos etiam qui ſic de facto matrimonium contraxerint ſæparari cures, & matrimonia ipſa ſic de facto contracta nulla, irrita, & invalida eſſe decernas. Eos etiam qui ſic jam contraxerunt ſi appareat illos non ut caſte ſimul vivant contraxiſſe, ſed actibus carnalibus, & libidinoſis operam dare, ſimulve in uno, & eodem lecto cum prædictis mulieribus dormire convincantur, omnino ſimiliter ſæparari cures*. Attende verba omnino ſimiliter. Quid quæſo per hæc niſi matrimonia ipſa ſic de facto contracta nulla, irrita, & invalida eſſe decernas? Si ergo Pontifex decernit irrita declaranda talia conjugia certum evadit ex definitione

(1) *Tit. de frig. & malef. cap. 2.*

Pon-

Pontificis quod talia connubia numquam fuere licite, & rite contracta. Patet ex eo quod Pontifex habet quidem poteſtatem dignis de cauſis diſpenſare in matrimonio rato, & non conſumato, numquam tamen, & nuſquam invenies quod matrimonium rite, & licite contractum motu proprio Pontifex nullum, & irritum declaraverit.

Affertur tamen pro contraria ſententia Baſilius Pontius (1), qui ut auctor eximius, & ſcrutator profuſus in materia matrimonii pondus non exiguum facit ſententiæ, quam tuetur. Neceſſarium eſt ergo ſcrutari quid ſentiat. Libro primo capite decimo ſeptimo n. 7. ſic habet. *Igitur ſcolaſtici omnes in eo conveniunt matrimonium quamvis contrahentium intentione ſecluſa ordinem habere ad conſuetudinem, & copulam ſecundum carnem, idque probant argumenta contra Hugonis ſententiam facta, neque in hoc nulla poteſt eſſe diſſenſio ſi recte intelligatur.* En igitur quod, & ipſe Baſilius Pontius concordat matrimonium etiam intentione ſecluſa habere ordinem ad copulam, adeo ut, & ipſe conveniat quod matrimonium ex capite impotentiæ ſemper fuerit nullum: quod talia conjugia per Sixtum Quintum fuerint non tantum prohibita de cætero quocunque modo, & quod ipſe nulla declaraverit præcedentia. Hæc omnia habet ipſe expreſſa in eadem quæſtione. Dicit tamen ſi recte intelligatur, quia ipſe, & hoc fateor, habet opinionem ſuam quam non una quæſtione proſequitur, nempe quod de ſe lo-

(1) *Baſil. Pon. lib. 1. cap. 17. n. 7.*

quendo ſi quis contraheret Eunucus cum muliere, cui innoteſceret ipſius defectus, & tamen contrahere vellet ad caſte vivendum tale matrimonium neque de jure naturæ, neque de jure anteriori Eccleſiaſtico debere nullum reputari. Hoc ipſum ſi ſatis probet, tantum Doctorem non jubeo cauſam dicere, nec vacat in diſſertatione diſſertationem inſerere: dico tamen, quod etiam ſi vera eſſet talis opinio, nihil inde ad quæſtionis propoſitum; quia cum ipſe ultro admittat de ſe ordinem habere ad copulam, & ideo ad propagationem, ſatis eſſet adinvenire aliquem alium ſecundarium finem; qui talis eſſet, & tali conjugio poſſet aptari, & tunc ſtaret de ſe tale matrimonium; ſed ſemper, & per ipſum ſtaret quod propagatio ſpeciei ſit primarius finis conjugii.

(1) *Thom. Sanchez lib. 2. de eſſ. matr. diſp. 29. n. 14.*

Sed audiendus eſt etiam (1) Thomas Sanchez, qui primus ſalebroſam materiam de matrimonio fuſius diſcuſſit, & qui diurna nocturnaque manu verſatur ab omnibus utriuſque juris peritis, & quem tanquam lucidiſſimam facem producunt. Hic etenim libro ſecundo de eſſentia matrimonii diſputatione vigeſima nona numero decimo quarto ait. *Præmittendum eſt matrimonium primario inſtitutum eſſe a Deo in officium naturæ, & ad propagationem ſobolis.* Neque dicendus eſt ſibi ipſi opponi cum numero vigeſimo in quo ſcribit. *Licet matrimonii in ordine ad actum ſit finis ſoboles, & remedium concupiſcentiæ; at ecluſo actu, & ut quidam contractus eſt finis ejus proximus eſt mutua animo-*

Digitized by Google

morum conjunctio. Nam primo loco loquitur de fine ad quem inſtitutum eſt matrimonium: hic loquitur de fine proximo contrahentium. Sed quid præciſe ſentiat in caſu Bullæ, & an licita eſſe potuerint, & valida ante Bullam matrimonia Eunucorum audi ipſum in libro ſeptimo diſputatione nonageſima ſecunda numero 17. (1). *Quare hodie dubitari nequit hos Eunucos eſſe incapaces veri matrimonii quam vis fœmina ejus defectus conſcia velit juri ſuo cedere*. Hic proſequitur, & refellit argumenta contraria propoſita num. 15., ſcilicet eorum qui contendunt poſſe dari Eunucos qui habeant ſemen prolificum, unde in hæc verba deſcendit. *Quare hæc ſententia ante motum proprium Sixti Quinti communis erat theologorum, & juriſperitorum*, & hic annumerat nominatim plures ſupra triginta Auctores, quorum pars major ſcripſit ante Bullam. Numero vero ſequenti ita concludit in hac materia (2). *Item quia non ſola matrimonia contrahenda impoſterum irritavit, ſed etiam jam contracta. Quod Pontificem efficere non poſſe conſtat ſi valida fuerant. Quare mens Pontificis fuit declarare attento omni jure matrimonium Eunucorum eſſe irritum, ac eos ſemper fuiſſe matrimonii incapaces. utpote qui verum ſemen emittere non poſſunt. At admiſſa hipotheſi impoſſibili, ut daretur quiſpiam rarus Eunucus veri ſeminis emittendi compos, is non excluderetur jure antiquo a matrimonio, nec ſubinde eo motu proprio, qui nil de novo ſtatuit, ſed ſolum jus antiquum declarat. Quare Auctores num. 15. re-*

la-

(1) *Sanchez. lib. 7. diſp. 92. n. 17.*

(2) *Idem. n. 18.*

quendo ſi quis contraheret Eunucus cum muliere, cui innoteſceret ipſius defectus, & tamen contrahere vellet ad caſte vivendum tale matrimonium neque de jure naturæ, neque de jure anteriori Eccleſiaſtico debere nullum reputari. Hoc ipſum ſi ſatis probet, tantum Doctorem non jubeo cauſam dicere, nec vacat in diſſertatione diſſertationem inſerere: dico tamen, quod etiam ſi vera eſſet talis opinio, nihil inde ad quæſtionis propoſitum; quia cum ipſe ultro admittat de ſe ordinem habere ad copulam, & ideo ad propagationem, ſatis eſſet adinvenire aliquem alium ſecundarium finem, qui talis eſſet, & tali conjugio poſſet aptari, & tunc ſtaret de ſe tale matrimonium; ſed ſemper, & per ipſum ſtaret quod propagatio ſpeciei ſit primarius finis conjugii.

(1) *Thom. Sanchez lib. 2. de eſſ. matr. diſp. 29. n. 14.*

Sed audiendus eſt etiam (1) Thomas Sanchez, qui primus ſalebroſam materiam de matrimonio fuſius diſcuſſit, & qui diurna nocturnaque manu verſatur ab omnibus utriuſque juris peritis, & quem tanquam luciſſimam facem producunt. Hic etenim libro ſecundo de eſſentia matrimonii diſputatione vigeſima nona numero decimo quarto ait. *Præmittendum eſt matrimonium primario inſtitutum eſſe a Deo in officium naturæ, & ad propagationem ſobolis*. Neque dicendus eſt ſibi ipſi opponi cum numero vigeſimo in quo ſcribit. *Licet matrimonii in ordine ad actum ſit finis ſoboles, & remedium concupiſcentiæ; at ſecluſo actu, & ut quidam contractus eſt finis ejus proximus eſt mutua ani-*

mo-

morum conjunctio . Nam primo loco loquitur de fine ad quem inſtitutum eſt matrimonium: hic loquitur de fine proximo contrahentium . Sed quid præciſe ſentiat in caſu Bullæ , & an licita eſſe potuerint , & valida ante Bullam matrimonia Eunucorum audi ipſum in libro ſeptimo diſputatione nonageſima ſecunda numero 17. (1). *Quare hodie dubitari nequit hos Eunucos eſſe incapaces veri matrimonii quam vis fœmina ejus defectus conſcia velit juri ſuo cedere* . Hic proſequitur , & refellit argumenta contraria propoſita num. 15., ſcilicet eorum qui contendunt poſſe dari Eunucos qui habeant ſemen prolificum , unde in hæc verba deſcendit . *Quare hæc ſententia ante motum proprium Sixti Quinti communis erat theologorum , & juriſperitorum* , & hic annumerat nominatim plures ſupra triginta Auctores , quorum pars major ſcripſit ante Bullam . Numero vero ſequenti ita concludit in hac materia (2) . *Item quia non ſola matrimonia contrahenda impoſterum irritavit , ſed etiam jam contracta . Quod Pontificem efficere non poſſe conſtat ſi valida fuerant . Quare mens Pontificis fuit declarare attento omni jure matrimonium Eunucorum eſſe irritum , ac eos ſemper fuiſſe matrimonii incapaces . utpote qui verum ſemen emittere non poſſunt . At admiſſa hipotheſi impoſſibili , ut daretur quiſpiam rarus Eunucus veri ſeminis emittendi compos , is non excluderetur jure antiquo a matrimonio , nec ſubinde eo motu proprio , qui nil de novo ſtatuit , ſed ſolum jus antiquum declarat . Quare Auctores num. 15. re-*

la-

(1) *Sanchez. lib. 7. diſp. 92. n. 17.*

(2) *Idem. n. 18.*

lati verum dixere aſſerentes Eunucos qui ſeminare poſſunt aptos ad matrimonium: ſi quod ſupponunt eſſet verum. At cum id ſit impoſſibile jure optimo Sixtus Quintus in univerſum matrimonia Eunucorum utroque textu carentium irrita eſſe declaravit.

Dices tamen de matrimonio inito ad caſte vivendum non conſtat jure naturæ eſſe prohibitum. At ego. Quid pro jure naturæ? Jam convenimus omnes quod matrimonium a Deo ipſo fuit inſtitutum. Ergo ne contra jus divinum nihil? Si nihil? Faciam & tibi objectum, quod ſibi ipſi facit Baſilius Pontius. Si ſemen prolificum, ſi potentia ad coëundum non eſt de neceſſitate ad matrimonium, æque poterit eſſe matrimonium inter duos homines, & inter duas fœminas. Reponis non? Unde ſcis? Quia Deus inſtituit inter marem, & fœminam, & ita exigit perfecta ſocietas, ut alter ſubſit, & alter præſit. Huc te volebam ſodes. Nonne qui marem, & fœminam creavit, & adegit conjugio nonne eſt qui & dixit, & erunt duo in carne una? Ergo aut utrumque neceſſarium, aut neutrum. Eris mihi Apollo ſi nodum ſolvas. Dices quod hæc verba erunt duo in carne una alias patiuntur interpretationes? Bona verba quæſo. Aliud eſt quod tropologice poſſint intelligi, & alio modo, aliud eſt quod ſecundum litteram non importent commixtionem carnis; ſi primum non moror, ſi ſecundum dum habeo auctoritatem Eccleſiæ, & Patrum qui ſecundum litteram omnes intelligunt de commixtione, unus forſan Medina qui repugnet mihi nullus erit, dum maxime per ipſum Baſilium Pontium (1) re-

ce-

(1) *Baſil. Pon. lib. 1. cap. 4. in princi.*

Digitized by Google

cedat a cæteris ſine fundamento ut vidimus agendo de præcepto matrimonii. Quoad exigentiam ſocietatis reviſe Auguſtinum quando egimus de adjutorio, & ita ſemper ſtabit meum objectum, & reſolutio nulla. En igitur quod hæc duo objecta cum nihil contra me probent firmant equidem ſententiam meam, quia abſoluta capacitas propagationis dum eſt neceſſaria ad contrahendum, licet inde deſumere quod primarius finis matrimonii ſit propagatio ſpeciei.

Alia quæ ſequuntur objecta levioris aleæ ſunt, ideoque expeditiori indagine ea abſolvemus. Nam ſi de matrimonio ſenum agitur, primo certum eſt ex hiſtoria non dari ætas adeo grandæva in homine, in qua quis aliquando non poſſit cum effectu operam dare generationi, quod optime demonſtrat Joannes Pontas in ſuo Dictionario caſuum (1). De muliere major eſt difficultas, nam etſi & ipſæ mulieres vetulæ aliquando pepererint, & ad copulam ſemper ſint aptæ, attamen ad ætatem perveniunt in qua certum eſt aut non poſſe concipere, aut fœtum maturare non poſſe, & tamen Eccleſia nulla attenta ætate ſenes, & vetulas indiſcriminatim ad nuptias admittit. Dicendum igitur quod in lege gratiæ, nam in lege naturæ, & ſcripta ſatis non novi ſi fuerit item, certum eſt matrimonium habere pro fine ſecundario, & legitimo eſſe in remedium luxuriæ (2). Habemus enim ex Apoſtolo 1. ad Corinthios cap. ſeptimo, *propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat*. Cum ſenes in quacunque

(1) *Joan. Pon. in dict. caſuum de imp.*

(2) *D. Paul. 1. ad Cor. cap. 7.*

que

Digitized by Google

que ætate apti ad copulam aliquando exercendam cenſeantur, ex alia parte cum certum æque ſit circumſtantias ceſſaſſe in quibus erat præceptum propagationi inſervire, quorſum dicetur ex hoc quod matrimonii finis primarius non ſit propagatio ſpeciei, ex eo quod admittitur matrimonium inter ſenes? Adverte tamen quod caſus iſte diverſus omnino eſt ab eo Eunucorum de quo diſceptavimus; nam illic agitur de viris qui non habent ſemen prolificum, hic autem agitur de ſenibus, qui cætoroquin aliud non habeant impedimentum ut docet Sanchez, & ob ſolam ſenectutem non arceantur a matrimonio (1), qui libro ſeptimo ait ſic, quia, & cum Joanne Pontas caſu undecimo verbo impedimentum imp. *hi duo conjugati licite matrimonio uti poſſunt modo vir poſſit perfectam cum illa copulam habere*; *ideſt ſemen intra vas uxoris emittere, quamvis per accidens* (*nota per accidens*), *ſcilicet ob ſenilem ætatem, frigidioriſque corporis conſtitutionem illius ſemen non ſit prolificum*. Quis abnuat ſufficere finem ſecundarium, qui licitus finis ſit ad cauſam contractus dum non deſtruit primarium finem, & non opponitur neceſſariis conditionibus? Ergo, & in hoc nihil contra nos.

(1) *Qu. 92 n. 19. Sanctez.*

Jam deventum eſt ad matrimonium virginum. Ad quod dicendum eſt, aut virgines iſtæ nupſerunt cum pacto explicito caſtitatem ſervandi, aut hoc pactum inierunt poſt nuptias. Si poſt nuptias jam ſumus extra quæſtionis propoſitum; nam ſicuti certum eſt per matrimonium dari jus in corpora ad copulam, ita certum eſt ceſſaſſe cir-

cum-

Digitized by Google

cumſtantias in quibus urget præceptum dandi operam propagationi, ideoque pactum de ſe poteſt eſſe licitum, & validum, imo de meliori bono abſtinere ab uſu corporum abſque eo quod nullo modo officiat quod finis primarius, & intrinſecus ad quem inſtitutum eſt matrimonium ſit propagatio ſpeciei, nam ſemper ſtat quod in contractu datum fuerit jus ad corpus quod eſt de eſſentia contractus. Aut hoc pactum initum eſt ante contractum, & de hoc quæſtio eſt an dirimat matrimonium. Adeſt ultro fateor ſententia quæ tuetur tale pactum natura ſua non dirimere matrimonium, ſed quibus fulcitur auxiliis? Maxime quia optime ait diſtingui in re dominium ab uſu, ideoque ſufficere ad validitatem contractus traditio dominii corporis ad copulam, licet paciſcantur de non uſu, qui certe in præſentibus circumſtantiis non eſt præceptus, & ipſe uſus non eſt de eſſentia contractus. Non eſt de eſſentia contractus quia eſſentia contractus non importat niſi conſenſum mutuum ad jus in corpus, & ad conſuetudinem vitæ. Ergo neque in hac ſententia adeſt quidquam contra tuentes quod finis primarius matrimonii ſit propagatio ſpeciei; quia æque per tuentes contrariam ſententiam ad validitatem matrimonii requiritur quod tradatur verum dominium cum jure ad corpus. Verius tamen negaverim cum Thoma Sanchez lib. 5. diſputatione decima num. 2. (1) Quod tale pactum poſſit conjungi cum validitate contractus. Ait enim, primo quia matrimonium eſſentialiter conſiſtit in mutua corporum traditione, qua uterque

(1) *Sanchez lib. 5. diſp. 10. n. 2.*

conſtituitur dominus alterius corporis, ad quod dominium intrinſece conſequitur jus, & poteſtas utendi illo corpore, unde illa conditio repugnat intrinſecis, & neceſſariis ad matrimonium, & illud deſtruit. Secundo quia illa conditio eſt contra bonum prolis, ergo irritat, quia Pontifex capite finali de conditionibus appoſitis expreſſe aſſerit conditionem contra bonum prolis illud annullare. Nec diſtinguit an conditio ſit honeſta, an turpis. Pro hac ſententia affert D. Thomam, D. Bonaventuram, & alios Theologos novem; & juriſperitos ſeptem quos nominatim appellat. Ergo hoc pactum ſive ſit antecedens, ſive poſterius ſit, ſive primæ, ſive ſecundæ ſententiæ adhæreas nihil evinces contra ſententiam quod propagatio ſit primarius finis matrimonii.

Unica difficultas reducitur ad matrimonium Beatæ Mariæ Virginis, circa quam paucis me expediam. Primo non adhæreo ſententiæ, quæ agitata eſt pluribus, eſt Caniſii in ſuo Mariali, & Metinæ qui dicunt probabiliter poſſe defendi non fuiſſe verum matrimonium inter Beatum Joſeph, & Mariam, ſed tantum ſponſalia de futuro. Hoc effugio non indigeo ad hoc objectum ſolvendum. Firmiter teneo Beatam Virginem habuiſſe verum propoſitum, imo, & votum caſtitatis; & tamen licite; & valide contraxiſſe cum Sancto Joſeph verum matrimonium: attamen ex his nihil deduci poſſe contra ſententiam quod primarius matrimonii finis ſit propagatio ſpeciei. Quod ſic probo. *Habuit B. V.*, & hoc cum Divo Thomæ (1), *votum caſtitatis*; *at Vir-*

(1) *D. Thom. 4. diſt. dub. 50. qu. 2. art. 1. quæſtiuncula 2. ad 3.*

Digitized by Google

Virgo implicite conſenſit in copulam, & copula nunquam fuit in propoſito erat enim a Deo certificata nunquam ſubſequi debere. Quid? Revelationem adſtruere in miſterio in quo Deus factus eſt homo, & Virgo eſt facta Deipara ad cognoſcendam veritatem, & honeſtatem matrimonii erit futile effugium, & quod etiam emunctæ naris vir debeat reſpuere? Inſuper audi. Aut lex (quæcunque ea fuerit) urgebat puellas ad nuptias, aut non. Si urgebat certe Virgo caſtitatem non vovit, niſi certior facta ſuperne ſponſum ſibi obventurum qui nullo modo intentaret genitale ſecretum. Si lex non urgebat? Caſtitatem vovit. Si vovit? Virgo ſanctior, & verecondior qua nulla quare aut ultro ſe exhibuit conjugio, aut rogata conſenſit niſi numine afflante? Ariolari quis poſſit? Quod ſi non placet audi Auguſtinum relatum in corpore juris in decreto Gratiani (1). *Beata Maria propoſuit ſe ſervaturam votum virginitatis in corde: ſed ipſum votum virginitatis non expreſſit ore. Subjecit ſe divinæ voluntati dum propoſuit ſe ſervaturam virginem, niſi ei Deus aliter revelaret. Committens ergo virginitatem ſuam divinæ diſpoſitioni, conſenſit in carnalem copulam, non illam appetendo, ſed divinæ diſpoſitioni in utroque obediendo*. Piaculum ne in hoc contra caſtiſſimum propoſitum Virginis? Nonne ſtaret pro Virgine matre quod Lucia Virgo Siracuſana uſurpavit in conſpectu tiranni. Si invitam juſſeris violari caſtitas mihi duplicabitur ad coronam? Nonne & ipſa Deo poterat dicere ſi præter propoſitum, ſicut cæteras me juſ-

(1) *In decr. par 2 cauſa 27. cap. 3 Aug.*

ſeris nubere caſtitas mihi duplicabitur ad coronam, quia mihi manebit virginitas in propoſito, & obedientia in obſequio. Selige quamvis de duabus. Patrum, Doctorem cui vis adhære, pene omnes conveniunt quod fuerint vere conjuges Joſeph, & Maria: nullum tamen invenies, qui ex uoto Virginis propoſito contendat probare, quod primarius finis matrimonii non ſit propagatio ſpeciei. Attamen unus eſt fateor qui ſaltem verbis tenus loquens de virginitate Deiparæ videtur expreſſe dicere primarium finem eſſe adhæſionem per caritatem, & cohabitationem; ideoque a cæteris auctoritatibus ſecernendum cenſeo Hugonis de S. Victore teſtimonium ut ei faciamus ſatis. Audiamus igitur de hoc Baſilium Pontium libro primo capite decimo ſeptimo numero ſecundo (1). Hic ait *Recentiores hoc loco referunt Hugonem peculiarem habere in re ſententiam ubi novum quoddam genus matrimonii excogitaſſe videtur*. Sed ſi ſolus eſt? Auctoris doctrinam, & ipſum Doctorem ſummopere veneror, ſententiam tamen non ſequor, neque alicui crediderim tutum ſequi, quia ſatis compertum eſt unius auctoritatem, maxime ſi ſit tantum extrinſeca, ut ex allatis ſuppono in caſu noſtro, non ſufficere ad probabilitatem alicujus propoſitionis. Sed ipſe Baſilius Pontius, qui Hugonem producit eidem hoc officium præſtat ut eum a nota novitatis liberet. Sed quomodo (2)? Ipſum audiamus capite eodem num. 4. *Cæterum ego exiſtimo longe aliam fuiſſe Hugonis ſententiam. Ille enim non loquitur de radicali jure* (ad copulam ſcilicet) *nec negat ex ſua in-*

(1) *Baſ. Pont. lib. 4. cap. 17. n. 2.*

(2) *Idem ibid. n. 4.*

Digitized by Google

inſtitutionè id habere, *ſed tantum loquitur de conſenſu explicito ex parte contrahentis*, *negat enim neceſſarium eſſe ejuſmodi conſenſum ad veram rationem matrimonii*. Igitur deducere fas ſit. Aut Hugo ſolus eſt, & non ſufficit, aut & ipſe explicatur in ſenſu cæterorum, & auget, non minuit pondus ſententiæ communis.

Quid denique reſtat ut ultimam manum imponam huic diſſertationi, niſi auctoritates Patrum, atque Doctorum ſcrutari, quæ afferuntur pro contraria ſententia? Opinor, nec certe fallor magis tædii, quam utilitatis afferre ſingulas; ideoque conſultius compendioſam viam inibo. Aducam ex omnibus, ſcilicet, unam quæ ſit expreſſior. Hac ad trutinam revocata, aut cadent omnes, aut omnes elevabuntur; in quo ſi bonæ fidei fidas debet eſſe contentus. D. Ambroſius libro primo de inſtitutione virginum cap. 6. ait (1): *Cum enim initiatur conjugium tunc conjugii nomen adſciſcitur*; *non enim defloratio virginitatis facit conjugium*, *ſed pactio conjugalis*, *denique cum jungitur puella conjugium eſt*, *non cum virili admixtione cognoſcitur*. Quis inquam inficiari præſumat quod commixtio carnis non ſit de eſſentia matrimonii? Ab eſſentia enim matrimonii ab omnibus excluditur, & hoc tanquam de fide. Et ego excludo. At profecto quid inde? Conjugium conſiſtit in mutuo conſenſu obligandi ſe ad conſuetudinem vitæ, & ad jus in corpus alterius tradendum in copulam. Hæc eſt tota eſſentia contractus. Quid hic cum actuali commixtione? Sed quid inde cum æque certum ſit quod illud jus in corpus ad copulam

(1) *D. Ambr. de inſt. Virg. cap. 6.*

Digitized by Google

lam neceſſario importat corpus aptum propagationi, & hoc de eſſentia contractus? ut docet nos D. Thomas (1). *Quamvis actus carnalis copulæ non ſit de eſſentia matrimonii: tamen potentia ad hoc eſt de eſſentia ejus: quia per matrimonium datur utrique conjugum poteſtas in corpore alterius reſpectu carnalis copulæ*. Sanctus igitur Doctor Ambroſius loquitur de contractu. De fine ad quem inſtitutum eſt matrimonium nihil. Quid ergo contra meam ſententiam? Cæteræ auctoritates loquuntur vel quod ſterilitas non dirimat matrimonium; at cum ſit diverſum dirimere a celebrare, & in caſu inveniri poſſit ſecundarius finis, qui vere finis eſt, ut vidimus ex D. Paulo, & hic ſufficiat, dum non ſit impotentia ſtricte talis, vel loquuntur de adhæſione animi habenda erga conjugem, quæ certe ſtrictius ſaltem præcepta eſt in lege gratiæ, vel ex Auguſtino de voluntate Dei qui mundum conſtituit in ſocietate cognationis. Vel ex eodem Auguſtino quod ſtrictior maneat matrimonium in quo copula non exercetur: quod utique in præſentiarum verum eſt per eminentiam virtutis, nunquam tamen eſſe poteſt per firmitatem contractus nam certum eſt matrimonium rite contractum ratum poſſe aliquando reſcindi, conſumatum, nunquam. Ex his certe nihil contra meam ſententiam, quando quidem nec una quidem affertur auctoritas quæ in terminis loquatur de fine matrimonii, ad quem a Deo inſtitutum eſt: imo afferuntur quædam bona fide, quæ non poſſunt diſtrahi ſine violentia ab eo quod ſentio, ut iſta eſt Divi Au-

(1) *D. Th. in 4. diſt. 34 qu. unica art. 2. ad 1.*

gu-

Digitized by Google

guſtini de bono conjugii lib. 24. Bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in cauſa generandi eſt .

Nunc & mihi liceat unam , vel alteram auctoritatem producere pro mea ſententia . Anacletus ex Concilio Florentino affert . *Tria ſunt bona matrimonii , primum proles ſuſcipienda , & educanda ad cultum Dei : ſecundum fides , quam unus conjugum alteri ſervare debet : Tertium indiſſolubilitas matrimonii propter hoc quod ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti , & Eccleſiæ .* S. Petrus Cœleſtinus in Bibliotheca Patrum Tomo 25. (1) *Cauſæ matrimonii duæ ſunt præcipuæ ſoboles , & vitatio fornicationis .* S. Clemens Alexandrinus (2) . *Matrimonium eſt prima legitima viri , & mulieris conjunctio ad liberorum procreationem .* S. Auguſtinus denique lib. 2. de adulterinis conjug. (3) *Propagatio filiorum eſt prima , & naturalis , & legitima cauſa nuptiarum .* Quomodo auctoritates illæ explicentur , aut extorqueantur pro contraria ſententia ?

(1) ***S. Petr. Celeſ. Bib. P. T. 25.***

(2) ***S. Clem. Alex. ſtrom. 2.***

(3) ***Aug. lib. 2. de adult. con.***

Ultimo tandem reponis de unione animorum , aut de dilectione inter conjuges quid tandem ſentis ? Fatebor ingenue . Unio animorum , & dilectio inter conjuges eſt volita a Deo per præceptum explicitum poſtquam matrimonium elevatum eſt ad eſſe Sacramentum in lege gratiæ . Dico eſſe volitam a Deo etiam antequam matrimonium eſſet Sacramentum , quia ſcilicet in amore Dei , & proximi univerſa lex pendet , & Prophetæ ; & quia ſicuti habemus quod ſemper in nobis charitas debet eſſe ordinata , quanto

ma-

oogle

major eſt adhæſio quæ exigitur inter conjuges, tanto debet eſſe charitas fortior. Inſuper illa verba geneſeos capite ſecundo adhærebit uxori ſuæ ſi non poſſunt explicari rigoroſe ad litteram ut jam animadvertendum exhibui, attamen illud verbum adhærere importat aliquam conjunctionem, & dilectionem, quia talis eſt vis adhibiti verbi, & ne ſuſpicetur homines juſſos eſſe conjungi ſeorſim a dilectione, ne viderentur dirigi ut bruta quæ coëunt, atque cohabitant abſque dilectione. Attamen quod ſit primarius finis intentus a Deo per matrimonium ob totidem rationes allatas ut omnino inficiar mihi videor tutus. Imo mihi videtur neque poſſe dici ſecundarius finis, neque finis ut talis habere ullam rationem nam ex eo quod aliqua requirantur, & exigantur ut bene cedat opus quodcumque propter hoc eadem volita finis operis dici non ſatis intelligo: quia ratio me alio ducit: in ſcripturis de hoc ſemitam non invenio: in Patribus non innoteſcit: inter Doctores non eſt qui ſit pro contraria ſententia.

Hæc ſunt Alethophile mi quæ ut tibi morem gererem pro rudi mea Minerva exponenda cenſui. Si bene opus exegi libens accipito; ſi male hominem me ſentio palinodiam canere non erubeſco. Hoc unum fateberis ſcio me currendo in hoc ſtadio habenas adhibuiſſe, non lora. Sic diſſerebam. Vale

Indulge authori ſi quæ ſunt ſphalmata mentis;
Typographo quidquid leſerit orthographum

Digitized by Google